





*B.* Q. D. B. V.

*A5*

VARIA IVRIS SAXONICI MELETEMATA  
P R A E S I D E      1784 2<sup>a</sup>  
D. ERNST GOTTFRIED CHRISTIANO  
K L V G E L

P. 321  
IVR. SAX. P.P.O. IVDICII PROVINCIALIS IN LVSATIAE  
INFERIORIS MARCHIONATV ET ORDINIS IVRIDICI  
IN ACADEMIA WITTENBERGENSI ASSESSORE  
DIE XXIII. IVNII A. R. S. MDCC LXXXIV

DISPVTANDI CAVSA PROPOSITVRVS EST

A V C T O R

GOTTLOB AVGVSTVS HAVSCHILD  
NVMEVRGENSIS THVRINGVS.



WITTENBERGAE

LITTERIS TZSCHIDRICHIANIS.



---

ATAMMELIUM TOTIUS CIVITATIS

I.

*Potest auctor in Saxonia iusiurandum reo delatum licet ab eo iam acceptatum si revocare, modo sententia interlocutoria nondum transserit in rem iudicatam.*

**N**on esse facultatem auctori iusiurandum reo delatum ab eoque acceptatum revocandi, claris verbis sanctum legimus in O. P. V. S. Tit. 18. §. 2. in fine. Excipiunt tamen DD: si auctor in continent probare possit, reum periurium commissurum esse, quo casu, non obstante acceptance facta, reuocationi locum esse adserunt. Kraus Proc. L. I. c. 4. §. 2. et 3. Concedunt porro facultatem revocandi, licet facta sit acceptatio, personis, quibus competit beneficium restitutionis in integrum. Idem l. c. Alius casus etiam reperitur apud Bergerum in O. I. p. 843. E contrario, iure ciuili, siue reus iusiurandum acceptauerit siue non, reuocationi locum esse, ex dispositione generali L. II. C. de reb. cred. colligit Mencken in Proc. Disp. IX. §. 10. Idem iuris esse hodie in Saxonia, facile probari potest ex O. P. R. S. Tit. V. §. 9. Ibi enim concessa est auctori facultas mutandi libellum quoad modum probandi, donec sententia interlocutoria vires rei iudicatae obtinuerit. Cum igitur auctor debeat iusiurandum reo in libello deferre, et libellum usque ad sententiam interlocutoriam, quoad modum probandi, mutare possit, prono alueo sequitur, vt licitum sit iusiurandi delationem, quae et ipsa est probatio, quamvis subsidiaria tantum, reuocare, et quidem etiam tunc, si ab aduersario acceptatum fit. Neque enim hunc casum excipit O. P. R. S. l. c. sed indistincte, donec sententia super litis contestationem lata,

lata adipiscatur vires rei iudicatae, auctori libellum mutare permittit. Praeterea ut taceam iniuriam auctoris conditionem, qui, aliis probandi mediis destitutus, iustitiam cau-  
sae aduersarii conscientiae parum saepe religiosi committere cogitur, et propterea sumtus saepe frustra facit. Quamobrem aequum est, ut alio probandi medio, forsitan mota iam actione exorto vel inuento, vti possit. Neque hoc modo item temere protrahi dicendum est, quia hoc rei potius, quam auctoris vitium, neque temeritas est, si quis apta quaerit causae suae defendendae media. Defen-  
dit quoque hanc sententiam Illustris Winckler ad Berg.  
O. I. p. 843.

## II.

*Auctor documenta a reo in processu executivo producta tunc demum,  
si ei in sententia eorum recognitio iniuncta sit, re-  
cognoscere tenetur.*

Reum olim secundum Decis. Ele<sup>t</sup>. Sax. II. in pro-  
cessu executivo exceptiones suas intra spatium trium septi-  
manarum ante terminum opponere, atque simul copias  
documentorum iudici exhibere oportebat, quae deinde iu-  
dex auctori transmittere, earumque recognitionem ei iniungere debebar. Hac vero mutatum est in O. P. R. S. App.  
§. 8. ibidemque reo permittitur, exceptiones, quas habet in  
continenti liquidas, in termino demum proponere. Hinc  
oritur quaestio, si reus documenta, quibus corroborare cu-  
pit exceptiones, in termino producat, quando auctor ea re-  
cognoscere debeat? Ut statim recognoscatur, non potest  
cogi, quia partim copia ei non est transmissa, partim, quia  
ad recognoscendum non est citatus. Non igitur recogno-  
scere tenetur, nisi per sententiam recognitio sub poena re-

cogniti ei fuerit iniuncta. Cum autem interlocutoria sententia in processu executio apud nos non amplius locum babeat, sed statim definitiue pronunciandum sit, comoda formula sententiae haec est: würde Kläger die von Beflagtem sub A. et B. inducirte Urkunden, wenn ihm selbige nochmals in originalibus vorgelegt werden, innerhalb sächsischer Frist recognosciren, wie ihm hiermit sub poena recogniti aufgelegt wird, so ic.

## III.

*Singularis tutoris excusatio.*

Quamquam ob muneris publici rationem quilibet ad tutelam suscipiendam compelli potest, ob aequitatem tamen leges multiplices admittunt causas, quibus quis se ab one-  
re huius administrationis liberare potest. Has causas, quas alias excusationes vocamus, ita esse comparatas, ut partim tutorum, tutelam subire/volentem, repellant, partim susci-  
pere nolentem, liberent; proptereaque in necessarias, et voluntarias partiri, satis notum est. Exarum species per-  
multas enumerant leges tam romanae, Vid. Tit. D. de Exculsat. quam Saxonicae, nempe Ord. Tutel. Sax. Ni-  
hilominus tamen quedam restant, quae iudicis cognitioni atque arbitrio sunt commissiae. Hisce igitur causis, quae immunitatem a tutela suscipienda praebent, hunc quo-  
que casum esse accensendum, haud perperam me credere puto. Evidem L. 24. D. de tutor. et curat. dat. et etiam Ord. Tutel. Saxon. c. 7. §. 2. iudici facultatem tribuunt, si intra suae iurisdictionis limites idoneum tutorem habe-  
re nequeat, ex alterius iudicis prouincia, facta requisitione, quendam arcendi, illique tutelam imponendi. Fac autem huic legatum ea sub conditione, ut ad eundem locum,  
quo

◆ \* ◆

V

quo tutelam suscipere debet, nunquam accedat, esse reli-  
ctum, eritne hæc conditio legato adiecta legitima causa,  
vt tutor a tutela ibidem suscipienda possit liberari? Nos  
hanc causam iustissimam esse putamus. Hic casus autem,  
inquis, nulla est lege expressus, et salutem pupilli tutoris lu-  
cro praeferendam esse adseris. Sed expediti iuris est, te-  
statores non prohiberi, legatum relinquere sub conditione,  
quæ in non faciendo consistit, et legatarium, ne contra fa-  
ciat, ad praestandam cautionem, quam vulgo Mutianam  
appellitant, teneri, L. 7. D. de cond. et demonstrat. Iam  
vero tutor noster aut legato carere, aut conditio pro non  
scripta haberi deberet, si eum a tutela non liberaueris,  
quod tamen prorsus legi allegatae aduersaretur. Iam vero ma-  
xime reipublicae interest, vt ultimæ voluntates conseruentur.  
Nec obstat adsertio, salutem pupilli tutoris lucro esse praefe-  
rendam, cum quoque nemini officiositas sua esse debeat no-  
ciua. Quod tandem ad hoc attinet, nostram excusationis  
causam in LL. non esse expressam, nos Ord. Tütel. Sax. Cap.  
IX. §. 2. docet, iudicem quoque excusationes tutorum in  
legibus non expressas, si alicuius ponderis sint, posse ad-  
mittere. Eiusmodi casum vide sis apud Hommel. in  
Rhapsod. iuris Obs. 24.

#### IV.

*Conditio legato adscripta, si legatarius per aerem naviga-  
verit, babenda pro non adiecta.*

Conditio impossibilis, legato adscripta, siue sit natura,  
siue lege talis, erit habenda pro non adiecta, et legatum  
pure debetur, L. 1. et 15. D. de condit. instit. Possibiles  
econtrario conditiones ultimis voluntatibus adscriptae sem-  
per adimpleri debent, alias enim non debetur, quod reli-  
ctum est. arg. L. 1. C. de Instit. Iam singamus conditio-  
nem

nem legato coniunctam: si legatarius per aerem nauigauerit. Veteres hanc conditionem pro impossibili reputatos suisse, nemo facile negabit. Ast nostris temporibus dnbitali rationem suppeditat inuentio machinae, qua nuper quidam per aerem nauigauerunt. Hoc enim praesupposito, illa conditio non amplius inter impossibilis referenda videtur, atque erunt forsitan, qui non dubitant, quin legatarius ad eam adimplendam hodie teneatur. Tantum vero abest! Etenim, licet nonnulli Galli iter per aerem fecerint, exinde tamen nullo modo colligi potest, legatarium, cui legatum relictum sub conditione, si per aerem iter fecerit, ad hanc conditionem adimplendam esse obligatum, cum inter omnes constet, artem nauigandi per aerem nondum esse perfectam, et primum solummodo quasi tentamen, maximo cum vitae periculo, ab illis suisse suscepimus. Hoc iter praeterea ad facta temeraria referri, ad quae, prouti leges sunt constitutae, nemo obligatur, quilibet iudicabit. Magnitudinemtaceo suntuum eiusmodi itineris, quae, nisi legatum admodum ingens sit, certissime, prout nunc res se habet, eius quantitatem superatura est. Quin illicitam adeoque turpem esse conditionem, cuius mentionem fecimus, demonstrari puto, cum non facile, absque summo vitae periculo, adimpleri possit. Etenim ex hoc solo, vnum aut alterum in hoc periculum sine vitae discrimine se contulisse, id probari nego, temeritatem ad ea, quae iuris intellectu fieri possunt, referri deberi. Nam id quoque factum est, vt, qui in aquam profilierant, sine damno extraicti fuerint, et alii ex alto desilierint absque ullo damno. Quis autem propterea, quod quibusdam haec adeo periculosa res tam bene successerit, conditionem eiusmodi, forte legato adiectam, pro possibili habebit? Verum, vt pro turpi eiusmodi conditio haberi possit, hoc quoque accedit, in multis locis et prouinciis, vti in Italiae quibusdam, in ipsa Lutetia et merito nuper Lipsia etiam publi-

ce

ce cautum fuisse, ne quis machinis et vehiculis aerostaticis vtatur, sine praescitu magistratus. Quoties autem conditio vltimis voluntatibus adiecta legibus adueratur, toties pro impossibili habetur, quod luculenter apparet ex L. 14. et 15. D. de Condit. Instit. Imminet tandem, quod vltimum et maximum est, prohibitionibus etiam dedit occasionem, ex vsu vehicularum et machinarum aerostaticarum reipublicae maximum periculum, cum ea regantur materia, qua facile incendium potest excitari, vti etiam, hoc factum esse, satis ex nouellis publicis edocti sumus. Quae cum ita sint, quis est, qui, in hac conditione aliquam inesse turpitudinem, non videat. Hoc vero tantummodo, quemadmodum ex iuris principiis considerandum est, intelligi, neque quidquam physicorum inuentorum gloriae aut utilitati detrahi volumus.

## V.

*Fatale probationis, si aduersus sententiam, quae probationem iniungit, leuteratio interposita, demum ab eo tempore aequum est currere, quo leuteratio fuit per sententiam remota.*

Currere incipit fatale probationis ab eo tempore, quo sententia interlocutoria, quae probationem iniungit, vires reiudicatae accepit. O.P. V.S. T. XX. §. 1. et O.P.R.S. T. XX. §. 1. Si itaque remedium, quo haec sententia a viribus rei iudicatae suspenditur, interpositum sit, fatale probationis ab eo tempore demum currere, quo sententia, quae remedium interpositum, vt aiunt, pro inadmissible declarat, transiit in rem iudicatam, non solum sana ratio docet, sed etiam in praxi receptum est. Menck. Proc. Disput. X. Tit. XX. §. X. Iam vero O.P.R.S. Tit. XX. §. 2. prohibet, ne quis aduersus sententiam, quae probationem imponit, remedio leuterationis vtatur. A quonam tempore

pore igitur currere incipiet fatale, si quis, non obstante prohibitione, leuterationem interposuerit, merito quaevis eris. Non absque analogia iuris adferi potest, sententiam post decendum statim fieri rem iudicatam, siquidem ratio prohibitionis leuterationis haec esse videtur, ne lis hoc remedio protrahatur, quae ratio legis prorsus euaneſceret, si leuterationi effectum suspensuum quendam tribueris. Licet vero haec sententia in theoria iuris maximum habeat fundamentum, tamen in praxi DD. plerumque fecus philosophari et statuere, fatale probationis scilicet a tempore, quo leuteratio per sententiam remota, currere, testatur Gribner in Discr. ad O. P. R. Tit. XX. §. 1. Cuius opinionis rationem quum in eo ponant, quod in dubio mitior sententia sit praeferenda, ea non prorsus est reiicienda, quamuis, ut puto, non satis tuta sit. Conferatur quoque Riuin. ad O. P. V. Tit. XX. En. XI. Dissentire autem videtur Menck. Proc. Disp. X. Tit. X. §. V.

## VI.

*Dispositio Decis. Reg. VIII. de anno 1746. ad notarios non pertinet.*

Est iudicis officium, ut in citat. Decis. sanctum legimus, qui in alterius iudicis iurisdictione ultimam voluntatem a testatore recepit, hunc etiam iudici ordinario intra officium noctum facere, sportulas sub poena quadruplici restituere, eique literas reuersales exhibere. Cum autem saepissime notarii quoque testamenta et ultimas voluntates recipient, posset quaestio moueri, an ea, quae in Decis. cit. de iudice disposita sunt, a notariis essent obseruanda, quia partim in diplomatis caesareis, ut videre licet apud Volkmannum P. 1. Tit. 1. Cap. X. iudices vocantur, parum, quia varia, quae alias ad iudices pertinent, expedire possunt. Conf. Ordinat. Norar. de an. 1512. Alii neminem fugit, tabelliones solummodo abusus indices appellari, iisque nullibi iurisdictionem esse concessam. Iudex vero sine iurisdictione non intelligitur, et hinc, notarios ad iudices plane non posse referri, appetat. Neque turbat notarius, qui officio suo fungitur, iudicis eius loci, quo versatur, iurisdictionem. Perperam igitur affirmaueris, dispositiōnem Decis. regiae supra laudatae ad notarios quoque pertinere, cum solum iudicium faciat mentionem, et ea, quae de iudicibus disposita sunt, a notariis pariter observanda esse, nulla lege sanctum sit.


Wittenberg, Diss., 1783-85



f

8.





Q. D. B. V.

VARIA IVRIS SAXONICI MELETEMATA  
P R A E S I D E .  
D. ERNST GOTTFRIED CHRISTIANO  
K L V G E L

P. 321  
IVR. SAX. P. P. O. IVDICII PROVINCIALIS IN LVSATIAE  
INFERIORIS MARCHIONATV ET ORDINIS IVRIDICI  
IN ACADEMIA WITTENBERGENSI ASSESSORE

DIE XXIII. IVNII A. R. S. MDCC LXXXIV

DISPUTANDI CAUSA PROPOSITVRVS EST

A V C T O R

GOTTLOB AVGVSTVS HAVSCHILD

NVMEVRGENSIS THVRINGVS.

WITTENBERGAE  
LITTERIS TZSCHIDRICHIANIS.

